Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8258
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

tedine amaritudine et acui-
tate grossitudine subtilitate
lubricitate lenitione et sic de
aliis. Cum enim stomachus cibis
et potibus tante diversitatis
impletur facile fastiditur, et
ad vomitum facilius incitatur.
vomito predicto exhibito et ad-
huc leviori eo. post quam vomitiva
si fuerit necessarium imponitur
penna oleo inuncta in os
titillando usque ad plenum mecum
Reliqua vero ingenia diver-
tendi sicut per fricationes li-
gaturas ventosas et rubifi-
cationes ponere non curavi.
quia per talia non sufficienter
evacuatur materia melancolica neque
sensibiliter evaporat terrestrei-
tate sua. Hec de intentione 3a.
¶ Quarta vero intentione com-
plere possunt instrumenta quam
plurima. Et primum quidem de le-
vibus est hoc Recipe aque farfare
aque buglosse et borraginis
ana ʒ. i. et s. Secundum et fortius
illo est hoc Recipe aque buglosse
ʒ. iiii. syrupi de epithimo ʒ.
i. et hec videntur appropriata
magis materiei melancolice
naturali. Tertium est hoc Recipe aque
fumiterre ʒ. iii. aque lappacii
ʒ. i. s. Quartum est hoc. Recipe
aque lactis ʒ. iiii. syrupi
de fumoterre ʒ. i. s. aque viol.
ʒ. iii. misce. Quintum est hoc
Recipe aque lactis ʒ. iiii. syrupi
de fumoterre ʒ. i. hec ultima
tria videntur magis appropriata
melancolie genite ex adusti-
one sanguinis et colere. Sextum
est hoc Recipe syrupi compositi
acetosi ʒ. s. syrupi de bisan-
tiis ʒ. i. aque mellisse ʒ. ii.
misce. Septimum est hoc Recipe

syrupi de thymo. syrupi rosa-
ti. ana ʒ. vi. aque sublimationis
florum tecori et lupulorum ana ʒ.
i. s. misce. Octavum est hoc Recipe
syrupi de absinthio. syrupi de
eupatorio. ana ʒ. vi. aque cus-
cute ʒ. i. aque apii ʒ. ii. misce.
Et hec tria videntur appropriata
magis melancolie genite ex ad-
ustione flegmatis vel participantis
natura eius. Si tamen occurret
alicui materia melancolica ex adustione
diversarum materierum et plurimum
tue ipsam digerere possit cum
hoc syrupo alias in experto
et utilissimo invento. Recipe mirabo-
lanorum indorum fumiterre sene
polipodii. thimi ana ʒ. s. vio-
larum florum buglosse et borra-
ginis seminis endivie acetose
scariole ana ℥. i. seminum 4or
frigidorum. ℥. i. radicum lupu-
lorum apii feniculi sparagi
brusci passularum mundarum ana
℥. ii. ossis de corde cervi Ia-
cincti smaragdi corallorum am-
borum margarite ana ʒ. ii. bul-
liant omnia in lib. xii. aque
usque ad consumptionem mediam
deinde colentur et vehementer
exprimantur, et illi colature
addatur zuccari albi libra s.
sape electe ʒ. ii. succi pomorum
apiorum lib. ii. bulliant simul
diligenter exspumando et de-
coquendo. et aromatizando spe-
cierum istis Recipe doronici. ossis de
corde cervi iacincti smarag-
di. saphiri corallorum ambore
ana ʒ. s. foliorum auri numero iiii.
bulliant hec omnia cum syrupo
post impositionem zuccari ita quod
medietas eius teneret ad
viscositatem, reliqua vero

1 ipm

93
69